



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ
Recentiores**

Hay, John

Antverpiae, 1605

Residentia Samarensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

visum eo pluris æstimari debet, quòd euenerit hominibus virtute præstantibus, & in pristina sanctè viuendi consuetudine perseverantibus.

RESIDENTIA SAMARENSIS.

Quoniam huius Insulæ indigenæ sparsi sunt secundum sinum & tractum maris, necesse fuit sex è Patribus maiore anni parte ad excolendam illam cum fructu, quantum ex talibus missionibus expectari potest, amandare. Ex literis autem nostrorum cognouimus, gentem huius Insulæ maritimam cepisse nomen dare Christianæ religioni, ac præcipuos quosque iam esse baptismate facto expiatis. Residentiæ huic incumbunt visenda quatuordecim loca. Hoc anno sexcenti octoginta supra ter mille homines, & maximam partem adulti, Christi sponsæ per sacrum lauacrum adiuncti sunt. In quadam exigua Insula, quæ à biennio visitata non fuerat, tanto desiderio duo è nostris in missionem eò ablegati à tota gente excepti sunt, vt inde à maris ora vsque ad loci Ecclesiam omnes vias exornarint virentibus ramis, deinde à puerorù puellarùq; cœtu doctrinã Christianã festis vobus occinente ritu processionis in Ecclesiam deducti. Et cum nostri exposcerent nomina in schedam conjici eorum, qui baptismi suscipiendi cupiditate tenerentur: responderunt, nihil opus esse scheda, omnes velle fieri Christianos. Senes, qui cæterorum solent cæteris esse obstinatior, ægreque Christianam doctrinam addiscunt, non aliam rationem postulati à se baptismi afferbāt, quàm quòd senectus parum diuturnam illis vitam promitteret. Itaque omnes diuina gratia filii Dei facti sunt, & vitæ æternæ hæredes.

Horum Christo aggregatorum fama mox permota sunt & alię insulæ ad expetendum Patres nostros: in quarum vna intra dies quindecim desertis infidelitatis tenebris lucem Euangelicam aspexere per baptismum centum sexaginta adulti, & quinque pueruli, cum vna anu centum triginta annorum, iam cæca, & surdastra, imò immota, quocunque enim deportabatur, manebat instar saxi immobilis. Aliis in locis deinde baptizati sunt adulti quingenti, & duo infantes. Alia rursus missione, triu mensium interuallo, baptizati sunt triginta septem supra octingentos, ac concubinæ plurimis erepræ. Sed & aliis in locis alii multi eisdem aquis tincti sunt, omnesque numerù in vniuersum conficiuntur millium sexcentorum octoginta capitum.

RESI-